

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Dissertatio Philologica Qua Al Tehî Tsadik Harbeh Ve-'al Tirsha' Harbeh Sive Nimium Iustitiae Et Improbitalis Salomonis, Coheleth. VII. 16. 17. ...**

**Clauswitz, Benedikt Gottlieb  
Keyselitz, Gottlieb**

**Lipsiae, 1721**

**VD18 11528834**

§. XX.

[urn:nbn:de:bsz:31-130295](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-130295)

Vidi iustos, vere tales, pereuntes, E. vita superstitionem in iis, quæ ad religionem pertinent, E. vita morositatem in iis quibus ad vitæ commoditates licite uti potes. Nam si iusti, quas Salomo perire vidit tales non fuerunt, frustra Salomo casui quem observaverat, hoc monitum videtur subjunxisse, cum alius plane generis subjectum petat. Quod si aliter accipias *רֹדֵף פִּי צַדִּיק* in oppositione ad *רֹדֵף עֲשֵׂר* versu prioris notioni consuetæ vis inferri videtur. De iis quæ ad nexum pertinent, ex quo etiam sententiæ suæ adjumentum petit Geierus, supra jam dictum est pluribus.

§. XX.

Plerique fere tum patrum, tum etiam recentiorum interpretum officia, quæ aliis debentur, hic spectari existimant. Et hæc partim ad unum quemque retulerunt, vetarique credunt, ut quis sit nimius exactor legum in taxandis privatim proximi lapsibus, ut *Hieronymus* (n) & *Piscator*. Partim vero arctius ista verba ad justitiæ æquitatem judici observandam restringunt, *Ne sis justus nimis*, i. e. judicem cum agis, ne nimio rigore in omnia etiam leviora scelera animadvertas, omnemque erga delinquentes benevolentiam abjicias. *Ne sis sapiens nimis*, ut occulta nimis expisceris, plura, quam opus sit, quærendo. *Ne improbe agas nimis*, i. e. ne vero ita hac admonitione abutaris, ut plane in improbos non animadvertas; sed ipsemet potius iniquitatem feceris. Subscribere huic sententiæ e Patribus Salomius, (o) Olympiodorus, (p) & Honorius (q) e nostratibus ipse Lutherus, (r) Vinarienses, (s) Pfeiffe-

(n) Oper. Tom. VII. p. 83.

(o) In dialogo ad Veranium fratrem, extat in Maxima Bibliotheca Patrum, Lugd. 1677. Tomo VIII. p. 415.

(p) In enarratione in Ecclesiasten Salomonis in Biblioth. Patr. Tom. XVIII. p. 507.

(q) Ibid. Tom. XX.

(r) Tom. V. Altenb. f. 1251, a. (s) In der Deutschen Bibel.

Pfeifferus, (t) Adami. (u) Favet huic sententiæ, quod hoc monitum hujus generis sit, ut extra illud הרברה judicium de aliorum vitiis & poena delictorum judici liceat. Favet etiam illud, quod in taxandis aliorum vitiis & in suppliciis sumendis rigidiorum esse hominem variis periculis exponat. Verum usus ita supponitur צריק & רשע quem quoad vocem צריק invenire in S. Codice non licuit. Neque reliqua monita in hoc libro Salomonis hujus generis sunt, ut officium magistratus vel judicis respiciant, sed potius communia officia præscribant.

§. XXI.

Cum vero nimie justitiæ vitium modo allegati auctores in excessu ponant, alii in defectu illud quærunt, ut iis adeo nimis justus sit, qui nimium clemens est. Prævit illis *Targum* in paraphrasi supra allegata. Ne sis justus nimis tempore quo impius reus occisionis est in domo judicii tui ut parcas illi ita ut non occidatur. Hoc sequuntur plerique Judæorum interpretum *R. Sal. Jarchi* & alii. Ut hac in re officio suo deerat Saul 1. Sam. XV. 9. Amalekitarum regi contra divinum mandatum parcens, quem etiam קול seu vocem de cælo datam audivisse fingit Gemara Joma אל תחי צריק הרברה, cum vero urbem Nobe summa crudelitate excinderet aliam eum vocem admonuisse: אל תרשע הרברה Jungi his posset *R. Abendana* qui nimium justum exponit de eo qui injusto invasori non resistit. Facile quidem in reliquis cum regulis nostris concilianda foret hæc sententia, in eo tamen insignis sese difficultas offert, quod Chaldaica & Rabbinis quidem usitata, non tamen quæ in f. litteris obtinet notione, vox צריק & צרקה eleemosynam notat, vi cujus vocis צריק esse posset is, qui erga alios nihil committit, quod illis mole-

(t) In Dub. Vex. Cent. III, Loc. XCVII, p. 667.

(u) In Delic. Bibl. V. T. An. 1700, Q. 315.